

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sertum Rutaceum Domûs Saxonicae Insigne**


**Starck, Christoph Heinrich  
Rechenberg, Adam**

**Lipsiae, 1664**

**VD17 VD17 12:144264V**

A te principium, in te definet haec tua ruta! Frontispicium

[urn:nbn:de:bsz:31-131177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-131177)



A \* Ω.

A Te principium, in Te desinet  
HÆC TUA RUTA!  
Frontispicium.

**D**uo sunt Reipublica tempora, quibus fortuna ejus per vices exercetur. *Pacis* alterum, & alterum *Belli*. Pro varietate igitur utriusque varia quoque requiruntur ingenia, diverſique humeri, qui jam *Togati*, jam *ſagati* ferundo eſſe poſſint. Tanta verò utrorumque eſt præſtantia, ut, cum ea ab omnibus paſſim agnoſcatur celebreturque, de *Palma* inter ſe decertare videantur. Utroſque in aciem ſcitè deducit *diſertiſſimus Romuli Nepotum Cicero Lib. I. Offic. Cap. 14.* Nec minor *Orator* Poëta-*Pelignus Ovidius*, non minori elegantia *Ajacem & Ulyſſem de Togatâ & Bellicâ* fortitudine contendentes *Metamorph. Lib. XIII. Fab. I.* in arenam protraxit. Imò in *Galliis* hoc ipſo ſeculo in *Comitiis Anno XVII, Rothomagi habitis*, inter *Proceres Regni*, nobiles nimirum, (quo nomine ibi non niſi militiâ clari in *Comitiis* veniunt) & *Parlamenta* acriter ſuper hac re diſceptatum fuit, uti videri poteſt apud *Gramond. Lib. III. p. 182. ſeqq.* Verùm enim verò uti utriſque pro ratione temporis ſuam ſortem debet *Reipublica*; ita *Provinciis* hiſce noſtris, imò toti *Orbi Chriſtiano Heroas ex Severiſſima Domo Saxonica, utraq; fortitudine illuſtriſſimos* gratulari poſſumus ac debemus. Ipli enim, cum longo temporis tractu in utraq; fortitudine ad *invidiam* uſque excelluerint, in

A 2

Inſigni-



*Insignibus* quoque habent Suis, quæ geminæ fortitudinis indicia  
& incitamenta esse possint; quippè

*Marte nitet Gladius, sed Ruta in pace virescit:*

*Utraque laus Stirpis propria Saxonica.*

quod Epigramma est *M. Petri Albini ad Augustum Electorem Saxoniam*,  
*Comment. novo de Misnia. statim ab initio ante Præfat.* Vel ut aliâ inibi  
effert facie:

*Saxonis in clypeo Gladii cur Ruta virescit*

*Addita? Nemo illô Marte Togâque prior.*

Item:

*Saxo aptat lateri mucrones tempore belli:*

*Exornat Rutâ pace vigente Comas.*

Hinc ego, cum de *Ense Electorio* fermè ante annum, tan-  
quam de re ad bellicam fortitudinem spectante, ex hac ipsa Cathe-  
dra differuerim, jam de *Serto Rutaceo Pacis* imagine agere decre-  
vi. Ampla quidem materia arduaque, cujus ego vix capax esse  
queam, cum primis ubi mentis nostræ acies aliâs tam imbecillæ,  
ut scientia nostra velut umbra in sole sit, ex subtili calamo nostrî  
*Subtilitatum Architectonis Scaligeri Exercit. I. S. I. p. 4. Exercit. 107. f. 12.*  
*p. 938.* Sed spacia quæ per imbecillitatem vacua relicturus sum,  
humillimâ submissione explebo, adeoque prodibo tenus si non  
datur ultra: *JESUS* verò *Pacis Princeps* juvenilibus meis Oris be-  
nedicat ex alto: Cujus in nomine exhibemus

*Bonis Auspiciis*

*Sertum ipsum.*

**S**ertum Rutaceum quinque nigris & quinque  
Saureis trabibus impositum, est Insigne Ducum  
Saxoniam, à Friderico I. Imperatore, Bernhardo An-  
haldino ejusque posteris Anno dō C LXXX. in  
Comitiis Herbipolensibus collatum, ad discrimen  
inter fratres aliosque agnatos faciendum.

Fascia